

alligare eos conantur parentibus morituris, ad instar barbarorum; qui, teste Clemente Alex. in exhort. ad Græcos, vivos homines alligabant cadaveribus, donec una cum ipsis putrescerent. Alii eis aditum ad pœnitentiam præcludent quasi actum sit de iis, similes illi, qui archisynagogo in via nuntiavit: *Quia filia tua mortua est; quid ultra vexas magistrum?* Marci V. Alii omnem ei operam et subsidium ad conceptum opus subtrahent, eumque ad desperationem redigent; similes illis sacerdotibus, qui Judæ pœnitentia ducto et turpe læcerum restituenti dixerunt: *Quid ad nos? Tu videris; viam ei ad laqueum parantes.* Omnes isti, secundum animam mortui, quid aliud agunt, nisi quod mortuos sepeliant?

Ad extremum quis recenseat quoties in hoc misero sæculo idem contingat? Quoties enim unus alterum in errorem inducit? Quoties astu supplantat? Quoties vi opprimit? Quoties pravo consilio pervertit? Quoties blanditiis decipit? Omnes isti velut mortui mortuos sepeliunt: et quemadmodum tempore diluvii innatantes in eo homines se invicem merserunt, dum alter alterum arripiens depressit; ita fit in mundo. Unusquisque sua commoda quærit; quorumcumque tandem detrimento et interitu id fiat, nihil pensi habet: et quemadmodum feræ in sylvis se invicem venantur, leporem vulpis, vulpem lupus, lupum tigris, tigridem leo; ita etiam homines mundo addicti. Unde Mich. VII. dicitur: *Omnes in sanguine insidiuntur, vir fratrem suum ad mortem venatur.*

Quare videat unusquisque et diligenter circumspiciat, qua via in hac silva ambulet. Qui in tecto religionis est, non descendat tollere aliquid de domo sua: sed dimittat mortuos sepelire mortuos suos. Qui vero infra tectum in hac mundi silva est, caveat sibi a feris: fugiat vespilliones, qui sibi similes sepeliunt; dicas illis: *Recedite, non est mortua anima mea, sed dormit Christo, qui facili negotio eam suscitabit duobus verbis: Talitha cumi: hoc est: Puella, surge.*

CONCIO V.

CURA PARENTUM ERGA FILIOS QUALIS ESSE DEBEAT.

I. Delicta filiorum corrigant. — II. Non nimis blande habeant. — III. Neque nimis aspere tractent, maxime ingeniosos. — IV. Arceant a pravis sociis. — V. Pari amore omnes complectantur. — VI. Cautè et prudenter despondeant.

THEMA.

Veni, impone manum tuam super eam, et vivet.

Matth. IX.

Communis parentum querela est de perversis

filiorum moribus; ita ut quandoque eos domo sua expellant, hæreditate privent, suos esse negent, imo diris etiam devoveant ac peroptent demersisse eos in primo, aiunt, balneo. Quæ hujus rei causa? Ad hoc respondet D. Chrysost. l. III. advers. vitup. vitæ monast. « Nulla alia ratione, inquit, perversi ut sint filii, contingit, nisi quod eorum parentes circa vitæ præsentis commoda æquo amplius incumbunt, et fere dixerim, insaniunt. Cum enim ista solummodo inquirunt, nihilque illis præferendum censent, et suam pariter et liberorum animam negligere coguntur. Hos ergo patres parricidis immaniores dixerim: illi enim corpus ab anima separant, isti et corpus et animam æternis ignibus tradunt. » Hanc tanti doctoris sententiam confirmare ex eo possumus, quod passim quidem in evangelio parentes reperimus, qui pro vita et valetudine suorum liberorum valde erant solliciti, uti archisynagogus in hodierno evangelio pro moritura aut jam mortua filia: alibi regulus pro obsessa filia: alibi mater alia pro filiis exaltandis ad dextram et sinistram Christi in regno temporali: alibi pater quidam adfert obsessum a dæmone filium, et cum lacrymis opem ei implorat, Marc. IX. Omnes isti solliciti pro vita temporali suorum erant liberorum: sed ubi reperitur aliquis, qui ad Christum venerit precaturus eum pro salute filiorum æterna? Ne unum quidem reperio. Quid mirum igitur est, si pervertantur filii, quibus nihil veri et solidi boni quærunt parentes, sed mera temporalia, fluxa et inania, quibus ipsi filii læduntur et evertuntur? Quare videamus qualem de suis filiis habere curam parentes debeant. Vos attendite.

I. Filiorum peccata corrigant: alioquin ipsi adscribenda. Quod in primis testatur Origenes, in c. I. Job: *Omnia, quæ deliquerint filii, de parentibus requiruntur, qui non erudierint neque corripuerint filios suos.* Hinc puella, quæ virginitatem suam perdidisset, jubebatur in lege veteri ejici extra fores patriæ, domos et lapidibus obrui, Deut. XXII. § XXI. atque, ut vult Oleaster: *Ad domum seu ostium parentum, ut parentes de cætero majori cura et studio puellas suas custodirent, ne confusionem subire paterentur.* Certe etiam apud Lacones, cum duo fratres inter se rixas haberent, parentes mulctabantur, quod filiorum dissidium tolerassent, Plut. in Lacon. Nec aliter Deus egit cum Heli sacerdote, cujus filii cum deliquissent, non ad ipsos, sed ad patrem misit prophetam, qui eum corripere, atque inter alia diceret: *Quare calce abjecisti, (vel ut Abulens. et alii legunt abjecisti) victimam meam et munera mea?* I. Reg. II. Non legitur hoc fecisse Heli, sed præcise filii ejus, et tamen etiam ipsi sacrilegium impingitur,

quia in suis filiis id dissimulavit. Unde Abulensis in eum locum, qu. XXV. ait: *Conquiritur hic Deus de Heli, tanquam ipse fecisset iniquitatem istam: ipse tamen non peccabat, sed filii sui: quia tamen ipse permisit, dicitur ipse fecisse.* Porro sicut redarguit et tandem etiam morte subita punit hunc parentem Deus, ob filiorum scelera non castigata; ita e contra benedixit Abrahamum, et singulari favore prosecutus est, ut diceret: *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum, cum futurus sit in gentem magnam et robustissimam, et benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ?* Gen. XVIII. Unde vero tanta erga Abraham Dei familiaritas et benevolentia? Id sequentia indicant verba: *Scio enim, inquit, quod præcepturus sit filiis suis, et domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, et faciant judicium et justitiam, etc.* En unde benedictio venit parentibus: ex disciplina filiorum et sancta institutione.

II. Non nimis blande habeant, ne ad nimiam vivendi licentiam prorumpant et insolescant. Oves quidem desiderant mane egredi ad pascua, ut herbis matutino rore stillantibus, dulcibus et melleis se saturant: at si illis vescantur, nimia pinguedine mortem incurrunt. Prudens igitur pastor non reducit eas ad mellea illa pascua, sed abducit ad montosa et arida. Idem agant parentes, ne in ipsos cadat, quod in lib. Job, cap. I. dicitur: *Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, (Hebr. emiserunt quasi pecudes parvulos suos) et infantis eorum exultant lusibus, etc. ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* En quod deducunt parentes suos filios nimis blanditiis, ad inferni barathrum. In hujusmodi præcipitium impulit filium Papinium, equitem Rom. nimia matris indulgentia et mollior educatio; de qua scribit Cornel. Tacitus, l. VI. annal. « Iisdem diebus, inquit, Sextus Papinius, consulari familia, repentim et informem exitum delegit jacto in præceptis corpore: causa ad mortem referebatur, quæ pridem repudiata (cum scilicet provocasset filium ad incestum) assentationibus atque luxu pepulisset juvenem ad ea, quorum effugium non nisi morte inveniret. » Hoc nimirum est filios amare, ad præcipitium impellere. Sed quid actum matri? « Igitur accusata in senatu (pergit Tacitus) quamquam ad genua patrum advolveretur, luctumque communem et magis imbecillum tali super casu feminarum animum, aliaque in eundem dolorem mœsta et miseranda diu ferret, urbe tamen in decem annos prohibita est, etc. » Legimus III. Reg. c. III. infantem in lecto a matre dormiente oppressum fuisse, utique ex nimio et stulto matris amore, quæ filiolum ubique secum, etiam

in lecto habere voluit. At nihilominus desipient etiam alii parentes, qui nimis blanditiis fovent suos liberos, et quasi in lectulo deliciarum secum detinent, neque ablegare a se volunt, ut alibi duricibus assuescant et sub disciplina sint. Discant illi vel a struthione rationem amandi filios. Is enim ponit ova in arena, et permittit excludenda solis radiis. Crudele hoc esse dixeris, quemadmodum et Deus dixit de illo ad Job, c. XXXIX. *Struthio derelinquit ova sua in terra, etc. duratur ad filios, quasi non sint sui.* Verum haud credendum tantam ei duritiam a natura insitam esse, ut perdat suam sobolem. Quin potius id agit in bonum ipsius. Nam si ovis suis incubaret, uti reliquæ solent aves, gravi nimis corporis sui mole ea aut confringeret, aut nimio calore dissolveret. Quod ergo crudelitas putatur, pietas est potius. Ita nimirum parentes tunc revera amant filios suos, quando a lacte et blanditiis domesticis avellunt et a se ablegant, ut ab aliis educentur in rigore disciplinæ et timore Dei. Id olim fecere et Persæ, qui liberos suos non prius aspiciabant quam septimum implessent annum, quo parvulorum amissionem æquiore animo sustinerent, ait Valerius Max. l. II. cap. I. *Fecere olim et Galli, qui liberos suos nisi cum adoleverint, ut munus militiæ sustinere possent, palam ad se venire non patiebantur, etc.* ait Julius Cæsar, l. VI. de bello Gallico. Non ita nunc parentes; qui potius imitantur berigones, animalia Indica, buxei coloris, et vulpis magnitudine, e quorum alvo duo dependent ubera, quasi mantice, quibus perpetuo luctu adherent quasi affixi catuli, donec ad pastum per se egredi valeant, ut scribit noster Maffei, in hist. Ind. lib. II.

III. Neque dure nimis tractent, ingenuos præsertim. Præcepit hoc apostolus ad Eph. VI. *Et vos patres, inquit, nolite ad iracundiam provocare filios vestros; sed educate illos in disciplina.* Non ergo nimia asperitate, nimis verberibus aut oneribus premendi sunt, ut vel irritentur ad pervicaciam, vel ad desperationem impellantur. Draco marinus, si manu dextra attrahatur, violenter resistit et enititur; sinistram si injicias, cedit et capi se permittit, Ælian. l. V. cap. XXXVI. Fortiorem scimus esse dextram, sinistram debiliorem. Ingenui et bonæ indolis pueri leniore disciplina facile, qua volueris, ducentur: severiori obsistent et jugum excutient, itaque sinistra potius quam dextra apprehendendi sunt. Cameli, si fessi longo itinere subsistant, verberibus ad progressum stimulari nolunt, neque a camelariis solent, sed musica et modulatione ad pergendum excitantur, Maiol. coll. VII. canic. Leonem

etiam cicurantes nec nimium cedere debent, nec nimium blandiri, Philostr. in vita Appollonii, lib. VII. c. XIII.

Denique, muræne, plaga una per ferulam accepta, torpescunt et perstant, pluribus efferantur et ira accenduntur, Caussin. l. VIII. Sic generosi animi severitate nimia obdurescunt, blanditiis efferuntur et insolescunt. Medium ergo tenendum. Optime hanc artem tractandi teneram ætatem docuit abbatem quemdam S. Anselmus, quod hic referemus ex ejus vita 21. april. apud Surium. Accidit ut abbas quidam religione clarus ad Anselmum veniret, ac inter alia de pueris in claustris nutritis verba conferret, questus de eorumdem contumacia ac duritie, addens, eos post multa inflata verbera non modo non meliores, sed semper deteriores fieri. Cui Anselmus post varias doctrinas hæc addit: « Vidistis unquam aurificem ex lamina auri vel argenti, solis percussionebus imaginem speciosam formasse? Non puto. Quid tunc? Quatenus aptam formam ex lamina aptet, nunc eam suo instrumento leniter premit et percudit, nunc discreto levamine lenius levat et format. Sic et vos, si cupitis pueros vestros ornatis moribus esse, necesse est, ut cum depressionibus verberum impendatis eis paternæ pietatis et mansuetudinis lævam atque subsidium. Ad hæc abbas: Quod levamen, quod subsidium? Ad graves et maturos mores illos constringere laboramus. Cui ille: Bene quidem. Et panis et quisque solidus cibus utilis et bonus est eo uti valenti: verum, subtracto lacte, ciba inde lactantem infantem, et videbis eum magis ex hoc strangulari quam recreari. Cur hoc? Dicere nolo, quoniam claret. Attamen hoc tenete: quia sicut fragile et forte corpus pro sua qualitate habet cibum suum, ita fragilis et fortis anima habet pro sui mensura victum suum. Fortis anima delectatur et pascitur solido cibo, patientia scilicet in tribulationibus, non concupiscere aliena, percipienti unam maxillam præbere alteram, orare pro inimicis, odientes diligere, et multa in hunc modum. Fragilis autem adhuc in Dei servitio, tenero lacte indiget, mansuetudine videlicet aliorum, benignitate, misericordia, hilari advocazione, charitativa supportatione et pluribus hujusmodi. Sit aliter vestris et fortibus et infirmis: vos captatis, per Dei gratiam omnes, quantum vestra refert; Deo acquiretis. His abbas auditis, ingemit. »

IV. Arceant eos a pravis sociis, quibus alioquin similes fient. Bene Diodorus, l. XII. *De sceleratorum familiaritate*, inquit, *atque consortio scriptum accepimus, quem sociis flagitiosis delectari conspexerim, eum qualis sit, haud perconctari perrexi- rum, eum qualis sit, haud perconctari perrexi-*

rim, eum qualis sit, haud perconctari perrexi- rum, eum qualis sit, haud perconctari perrexi- cum eum sodalibus esse similem minime dubitaverim. Patuit in filio Salomonis, Roboamo, qui, quoniam cum perversis adolescentibus a teneris educatus fuit, eorum consilio æque ac exemplo pravo eversus est, ita ut mirum sit sapientissimum Salomonem permisisse filium in sperni regni natum talibus convivere. Nihil magis sapuit Sesostris rex Ægypti, qui quotquot infantes in tota Ægypto eodem, quo filius, die nascerentur, adsciri jubebat, et cum filio pariter educari, nullo habito delectu, et in eo statu, ubi nullius ingenium et indoles posset cognosci. E contra de hoc sollicitus fuit Isai, quando filium Davidem misit in castra exploratum, quibus cum commilitonibus versarentur ipsius filii in iisdem militantes: *Curre in castra*, inquit, *et fratres tuos visitabis; si recte agant, et cum quibus ordinati sum disce*, l. Reg. XVII. Scivit nimirum inter milites periculosam esse conversationem, plurimosque perversos, quorum convictus alios evertat. Sedulum etiam parentem se in hoc exhibuit Thare, quando Abraham filium suum, Loth, nepotem et Saram nurum suam eduxit de Ur Chaldæorum, et migravit cum illis in Chanaan, Gen. XI. quia nimirum Chaldæi erant idololatæ et pessima gens, a qua, ut scribit Josephus et S. August. XVI. de civ. c. XIII. multas afflictiones passus erat Abraham eo quod nollet adorare Ur, h. e. ignem, quem colebant. Quid? Nonne videmus bruta animalia, canes, feles, neonon et aves cum insidias strui catulis vel pullis suis advertunt, mordicus comprehensas alio deferre in tutiora loca? Et non efferat pater filios ex igne pravæ societatis et insidiis diaboli? Canes marini cum insidias timent catulis suis, recipiunt eos in uterum suum: ubi timor abiit, iterum depromunt. Glaucus item piscis, ore eos excipit, et postea iterum evomit, Ælian. t. I. c. XVII. Et permittant parentes prædam cacodæmonum fieri filios suos? Audiant illi S. Chrysost. hom. IX. in I. ad Tim. *Magnum*, inquit, *habemus pretiosumque depositum, filios: ingenti illos servemus cura, ne fur id nobis astutus auferat. Ut fundus sit optimus, cuncta molimur; et agasonem et mulionem inquirimus: cæterum quod nobis omnium charissimum est, omnino negligimus: major nobis possessionum cura est quam filiorum, quorum illæ gratia comparantur.*

V. Pari amore omnes complectantur, pari victu et vestitu sibi mutuo devinciant, nisi ratio peculiaris moneat unum alteri præferendum. Causa est quia alioquin sementem odii et discordiæ inter eos spargent, uti sensit Jacob, quando Josephum plus quam cæteros amavit filios, et

pulchrius vestivit; inde enim: *Fratres oderant eum, nec quidquam poterant ei pacifice loqui*, Gen. XXXVII. Quod expendens D. Ambros. in l. de Joseph. c. II. scribit: « Instruimur (eo exemplo) qualis esse debeat affectus parentum, filiorumque gratia. Amare liberos dulce, et impensius amare prædulce est: sed frequenter amor ipse patrius, nisi moderationem teneat, nocet liberis, si aut nimia indulgentia dilectum resolvat, aut prælatio unius cæteros ab affectu germanitatis avertat. Solent enim tales filii prærogativa amoris abuti, et præterea incidunt in fratrum odium et invidiam. Unde pergit Ambrosius: *Plus acquiritur filio, cui fratrum amor acquiritur. Hæc præclarior munificentia patrum, hæc ditior hæreditas liberorum. Jungat liberos æqualis gratia, quos junxit æqualis natura.* Hujusmodi patrem se exhibuit liberis suis Job, qui offerebat holocausta pro singulis, unde et omnes velut una anima se mutuo diligebant et per ordinem ad convivia invitabant, ut habetur Job I. Quamobrem appositio dixit cap. XXIX. *In circuitu meo pueri mei.* Ipse enim velut centrum in medio eorum constitutus, pari ab omnibus distantia, pari omnes amore prosequatur: quamquam notandum etiam est parentibus, quod loco cit. etiam subdit Ambrosius: « Sed nec libertatem possumus auferre parentibus, ne eos plus diligant, quos plus credunt mereri, nec filiis resecare debemus studium plus placendi. » Idque exemplo Jacob, præferentis Josephum cæteris fratribus, ob virtutum ejus præcellentiam, confirmat, quod et alii parentes facere possunt, ut meliores præmio afficiant, et deteriores partim castigant, partim ad virtutis amorem et melioris æmulationem fratris exstimulent.

VI. Caute et prudenter conjugio eos alligent. In primis de filiabus ita loquitur Ecclesiasticus, cap. VII. § XXVII. *Trade filiam, et grande opus feceris, et homini sensato da illam.* Multi vel amore filiarum ducti, vel pecuniarum, quas in dotem ægre exponunt, filias a nuptiis arcent; contra quos Ecclesiasticus: *Trade filiam*, inquit: nisi illa Christo consecrare virginitatem suam velit, intellige. Nam feminæ, aut murus (monasterium) aut maritus, dici solet. Tradant vero in tempore, ne nimis diu dilatas conjiciant in periculum. Unde leges statuerunt posse filiam nubere inconsulto patre, si nuptias ejus distulerit ad vigesimum quintum annum. Palmas suadet Plinius, l. XII. cap. XXII. esse colligendas paulo antequam incipient maturescere; nimis enim maturæ nigrescunt, et vescentes inebriant: et Solinus, cap. XLV. « Sitim sedat, si prius quam maturerit decerpatur: nam si matura sumatur, sensum intercipit, gressum præpedit, linguam

retardat, obsessique officiis mentis et corporis imitatur ebrietatem. » Idem observare decet parentes cum filiabus, quarum statura assimilatur palmæ, Cant. VII. *Statura tua assimilata est palmæ*, Symmachus legit *ætatis tua*. De ætatis igitur annis loqui videtur, dum sponsam matrimonio aptam describit Salomon.

Deinde: *Sensato da illam*, inquit. Neque enim divitiæ aut fugacia alia bona, sed mens et virtus conjugis futuri consideranda est, juxta id Themistoclis: *Malo virum, qui pecunia indigeat, quam pecuniam, quæ viro*, apud Val. Max. l. VII. Sedulus et vigilans pater in hoc negotio fuit Abraham, quando juramento adegit servum suum, ne acciperet filio suo uxorem de filiabus Chanaanorum, Gen. XXIV. Chanaanæ enim a maledicto Chanaan prognati erant; qui: *Maledictionis hæreditatem transmisit in suos, ut cognoscamus fidem et quamdam hæreditatem de auctoris prosapia in his requirendam, quos nobis volumus adungere*, inquit S. Ambrosius, lib. I. de Abraham, cap. ult. Qualem igitur quæsit et accepit sponsam Isaaco servus ille? Quam post factam orationem Deus illi ostendit, quamque colloquio deprehendit virtutibus præstantem, liberalem, industriam, benignam, humilem: quæ aquæ haustum postulata celeriter obtulit hydriam; quin et camelis ejus aquam se hausturam spondit exhibuitque. Graviter igitur errant qui ad judicium oculorum tantum conjuges sibi deligunt, quemadmodum et Samson male sibi consuluit, dum, relictis gentis suæ puellis, Philisthæam sibi elegit: *Quia placuit oculis meis*, inquit Jud. c. XIV. Sed, o Samson, tempus erit, cum ea, quæ placuit oculis tuis, eruet tibi oculos tuos per manus inimicorum tuorum. Videant ergo juvenes quas sibi accipiant, videant parentes quas filiis suis quarant. Denique, ut querelæ parentum de liberis suis cessent, sint ipsi solliciti de illorum animabus potius quam corporibus.

CONCIO VI.

PURGATORII ANIME JUVANDÆ.

I. Quia sunt filii Dei. — II. Quia seipsas juvare nequeunt. — III. Quia necessitudine nobis junctæ. — IV. Quia duplex beneficium omni comparatione majus conferemus eis. — V. Quia Deo hoc opus valde placet.

THEMA.

Filia mea modo defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam, et vivet. Matth. IX.

Rem miram valde Demetrius physicus narrat, pantheram, cujus proles in foveam ceciderant, publica in via hominem expectasse, et vero

etiam reperisse ac pede leniter prehensum ad foveam adduxisse educendis catulis, apud Plinium, l. VIII. cap. XVII. Feram hanc imitatus est princeps Jairus, qui in hod. evangelio accessit ad Christum, ut eum secum duceret in domum suam, ad extrahendam e mortis fovea filiam, in quam inciderat. Secutus est Dominus, et extraxit puellam e lecto mortis et doloris. Possumus et nos, si volumus, suffragiis nostris manum extendere ad piorum animas in foveam purgatorii lapsas, easque e doloris acerbissimi lecto eripere, ac cælo inserere. Quis tam durus erit, ut hoc eis præstare nolit? Quod tamen ut a nobis efficacius fiat, audiamus incitamenta.

I. Quia animæ illæ purgantes sunt filii Regis regum, valde ipsi dilectæ, quia sunt in statu gratiæ confirmatæ, certissimæ hæredes cæli. Devenērunt quidem illæ nunc ad statum paupertatis, sed interim domi suæ ingentes opes possident, et magnæ sunt in cælo. Cum dux Venetus in festo ascensionis mare sibi despondet projecto in mare pretioso annulo, adsunt urinatores, qui in profundum maris desiliunt, et annulum illum quærunt. Cur projectam in purgatorium animam non quæramus et nos, pretiosorem omni gemma? Reinbertus episcopus Bremensis, cum aliquando in partes Sclavorum prope Slerwicum, ubi Ecclesiam recens conversorum habebat, venisset, ingentem Christianorum multitudinem catenarum vinculis constrictam vidit: inter quos virgo Deo sacra motibus corporis ad reverentiam compositis tam genuflectendo, quam caput crebro inclinando, honorem illi exhibuit, quasi misericordiam eminus implorans, simulque testimonium fidei et religionis suæ dare volens, voce altius sublata psalmos, sicut in choro consueverat, cantare cœpit. Episcopus eam ob rem motus commiseratione, preces ad Deum fudit pro salute ejus, moxque catenarum vincula non sine barbarorum ingenti admiratione dirupta de collo ejus ceciderunt. Non potuit tamen hoc miraculum puellam e manibus barbarorum liberare. Quare complura diversi generis pretia episcopus pro ea obtulit: quibus omnibus repudiatis, equum ejus pro redemptione postularunt; quem ille lubens et gaudens cum omnibus ornamentis repente desiliens tradidit, virginemque eo pacto e captivitate redemit, ac liberam qua vellet ire dimisit, Sur. ex m. s. ejus vita, 4. feb. Tales sunt animæ purgantes sponsæ Deo dicatæ ac dilectæ. Detinentur illæ nunc captivæ et supplices, ad vos tendunt manus, vobis flectunt genua, vobis inclinant capita, vobis cantant: *Miseremini mei saltem vos amici mei.* Et quomodo non tangimini

commiseratione? Vestris precibus et eleemosynis earum catenas rumpere, easque redimere potestis et cælo inserere: nec valde magno pretio: equum pro hominibus date, carni vestræ aliquid detrahite, per jejunium, peregrinationem, orationem, eleemosynam, et redemistis illos. Miror, auditores, quod ad corpora quidem fidelium pie et honorifice sepelienda satis superque attenti simus. Ibi nobiles equum in funere ducunt, et pro defuncto equite offerunt; neque id reprehendo: sed cur non multo magis pro animabus eorum in æternam quietem collocandis solliciti sunt? Submersorum corpora quærimus sub aquis, ut honeste tumulemus; cadavera occisorum Tobias quæsivit in plateis, et mensa relicta, sepelivit cum periculo; longe majus studium adhibendum foret pro eripiendis e purgatorio animabus; quia anima plus est quam corpus.

II. Quia seipsas juvare nequeunt, utpote in termino viæ jam constitutæ, adeoque in nocte, cum non licet jam operari, nec mereri aliquid, neque excurrere datur ad implorandam opem nostram, neque invocare aliquem. Debitores sunt pluribus nominibus obærat, nihil interim æris habent, nec lucrari quidquam possunt, nec mutuum accipere: creditorem insuper habent, qui nihil eis remittit, nisi in pelle, ut dici solet: luanit quidquid debent, nulla concessa dilatione. Similes sunt languido illi, qui ad piscinam jacens annis triginta octo paralyticus, hominem non habuit, qui eum mitteret in piscinam, nec ipse juvare poterat, ut prior intraret, Joan. V. Similes sunt Lazaro mendico jacenti ad fores divitis, qui ingredi non valebat, ut vel micas peteret, Luc. XVI. similes sunt septem illis regibus, qui amputatis pedum manuumque summitatibus, colligebant ciborum reliquias sub mensa Adonibezec, Jud. I. Velut nimirum catelli sub mensa expectant a nobis quod pro ipsorum solatio in purgatorium dejiciamus. Ergo sicuti pater pro filia, quia ipsa vel defuncta vel in agone posita venire et pro se orare non poterat, venit ad Christum et orat: sic, quia animæ illæ pro se orare nequeunt, nos autem possumus decet ut pro ipsis Christum adeamus. Languidi illius Christus misertus est, ipsumque sanavit, licet non rogatus: Lazari canes miserti sunt et venientes lixerunt ulcera ejus: Adonibezec vero, quia regum illorum misertus non fuit, talionem subiit; unde a propria conscientia convictus, dixit: *Sic feci, illa reddidit mihi Deus.* Timendum ne qui animas illas negligunt, et ipsi negligantur, cum in purgatorio fuerint. Multi enim quod dare solent canibus, non dant pauperibus pro

suis parentibus aut amicis. Quid magnum largiri reliquias mensæ pro defunctis? Tibi quidem parum, defunctis vero multum est.

III. Quia sunt nobis magna necessitudine junctæ. Sunt nostri fratres et sorores nostræ, cohæredes cæli; aliqui etiam parentes et benefactores nostri, quibus partim ex justitia, partim ex gratitudine obligamur. Videmus ipsa bruta animalia sibi invicem opem ferre, cumeorum unum patitur. In quadrupedibus elephantibus, cum illorum aliquis in foveam cecidit, cæteri conglomerantur et devolvunt aggeres ac ramos, ut delapsus emergere possit, Plin. l. VIII. c. VIII. in volatilibus visus est accipiter accipitrem præ senio cæcum allato cibo pascerere, teste Alb. M. de anim. In piscibus scari consortem hamo comprehensum liberare nituntur, funem dentibus conficiendo, et si in nassam inciderit, extrahendo, Ælian. de anim. l. I. c. IV. in reptilibus formicæ mortuos suos sepeliunt.

Denique, in ipso homine membra omnia læso uni suppetias ferunt; et si, v. g. pedi spina infixæ hæret, totum corpus inflectitur, oculi spinam quærunt, manus inventam extrahunt. Jam vero nonne omnes fratres sumus, et unius corporis membra; tametsi nimirum defuncti in gratia fideles secundum corpus a nobis præcisi sunt, secundum animam tamen adhuc Ecclesiæ adhærent per fidem, spem et charitatem? Cum ergo illi patiantur, quomodo non et nos compatimur ac succurrimus eisdem? Certe Judas frater Josephi non difficile persuasit fratribus, licet odio Josephi plenis, ut eum e cisterna extraherent, unico illo argumento: *Frater enim et caro nostra est.* Acquieverunt nimirum mox sermoni ejus, Gen. XXXVII. Animæ purgantes caro nostra et fratres nostri sunt; non igitur deseramus eos in cisterna purgatorii, nisi gravem illum remorsum cum Josephi fratribus velimus experiri: *Merito hæc patimur, etc.* Gen. XXIV. Maxime vero obligamur parentibus, benefactoribus, et quorum bona relicta possidemus. Si enim æquum fuit ut pater salutem quæreret filii, multo magis filii tenentur procurare salutem parentum. Docent hoc naturæ lumen etiam gentiles; e quibus filia una matrem inclusam et ad inediam damnatam multo tempore lacte suo per fenestram aluit, apud Plin. VII. c. XXXVIII. Christiana alia catholica, cum Calvinistæ in Gallia magnam catholicorum edidissent cædem, in qua et ipsius pater jacuit, per medios hostium cuneos irruit, et patrem suum quæsivit, eumque adhuc spirantem reperit humeris suis exulit et curavit, ut dixi alibi. Vestri parentes purgatorii carcere miserrime

conclusi sunt, in strage cæsorum jacent, et opem vestram expectant: quomodo non ostia et repagula omnia illius carceris, quomodo non acies obstantium perrumpitis, ut ad eos penetretis et parentibus succurratis?

IV. Quia duplex idemque ingens beneficium conferre illis possumus, si manum porrigamus: nam eripiemus ex gravissimis purgatorii cruciatibus, et evehemus ad immensa cæli gaudia. Quemadmodum enim pater hujus puellæ, duplici nomine ei pater fuit, quia bis eam genuit, prius per naturam, posterius per orationem et pietatem, quærendo ei vitæ reparatorem; sic possumus et nos, si velimus, animas purgantes iterum gignere, et quidem cælo, ut vivant in æternum, simulque a tristi et luctuosa morte eripere, adeoque ipsarum parentes fieri. Sane Joseph a Pharaone pro patre habitus et dilectus fuit, uti testatur ipse, Genes. XLV. *Fecit me quasi patrem Pharaonis;* propterea quod ipsi totique ejus regno providerit de annonæ pro futura fame, quæ totum alioqui regnum evertisset: multo igitur verius pater fiet animabus illis, qui eas a tormentis maximis eripuerit vitæque beatæ transcripserit. Ita patrem appellabant animæ quam plurimæ S. Nicolaum Tolentinatum, cum ejus opem implorarent. Cum enim a quodam defuncto, olim sibi noto, rogaretur ut missam pro eo diceret, ille vero causaretur quod postera die dominica summum sacrum de eadem cantare deberet, ait spiritus: *Veni, venerande pater, et vide num te deceat precibus tantæ tamque miseræ multitudinis, a qua missam sum, assensum negare, neque miserum tam inhumaniter repellere.* Duxit ergo illum ad alteram eremi partem, parvamque juxta Pisas planitiem, ubi permiscui sexus, ætatis et ordinis innumera multitudo lacrymabili voce preces et missas præsertim ejus flagitabat: *Miserere, pater, miserere turbæ auxiliium tuum expectantis.* Itaque, altero substituto, tota illa hedomada pro defunctis celebravit. Qua transacta, prædicta anima Auxiniensis gratias ei pro liberatione egit, magnamque illius multitudinis partem e pœnis ereptam dixit, Sur. 10. sept. Secretarius ille legati Lusitanie regis e fovea nivibus referta a Franc. Xaverio non sine præsentis vitæ discrimine ereptus, cum postea non aliter ac vitæ suæ parentem coluit, in vita S. Xaver. l. I. c. IX. Pari amore, quinimo longe majori, complectentur animæ illæ suos auxiliares, quorum opere evadunt foveam purgatorii.

V. Quia Deo hæc animarum redemptio maxime placet. Colligitur ex eo quod Christus tam prompte et expedite secutus sit archisynagogum ad